



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXVI. Clerici ignota sigilla de ordinatione deferentes, non sunt admittendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.CAP. XXIV. *Idem Herefordensi episcopo.*Pars cap.  
supra de  
potestate  
iudicium.  
Intellexi-  
mus.

Sane super eo, quod moris esse dixisti quibusdam episcopis Scotiæ & \* Galliæ, in dedicationibus altarium vel ecclesiarum extra ieiunia quatuor temporum, clericos ad sacros ordines promouere; prudentiæ tuæ significamus, quod consuetudo illa, utpote institutioni ecclesiasticæ inimica, & detestabilis est & penitus improbanda: & nisi multitudo & antiqua terræ consuetudo esset in causa, taliter ordinati non deberent pro merito in susceptis ordinibus ministrare. Nam apud nos sic ordinati deponerentur: & ordinantes auctoritate ordinandi priuarentur.

## CAP. XXV.

*Idem eidem episcopo in eadem epistola.*

De hoc autem quod quæristi, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in ostiarios, lectores, exorcistas, vel acolytos promouere, aut etiam subdiaconos facere, prudentiæ tuæ taliter respondemus, quod licitum est episcopis, dominicis diebus, & aliis festiuis diebus, vnum aut duos ad minores ordines promouere. Sed ad subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut in sabbato sancto, & in sabbato ante dominicam de passione, nulli episcoporum, præterquam Romano pontifici, licet aliquos ordinare.

CAP. XXVI. *Idem.*

Quia quidam clerici desperantes ab episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut minorem aetatem, extra prouinciam suam interdum in transmarinis partibus ordinantur, vel ordinatos se esse mentiuntur, ignota suis episcopis sigilla deferentes: statuimus talem ordinationem irritam esse habendam, sub interminatione anathematis inhibentes, ne a quoquam episcopo ad sui officii executionem admittantur. Episcopus vero nostræ iurisdictionis, qui talem sciens ordinauerit vel susceperit, ab illius ordinis executione ad quem eum ordinauerit vel susceperit, usque ad condignam satisfactionem se nouerit suspensum.

M m m iij